

16  
NOVA SCIENTIARUM  
UNIVERSITAS  
uno comprehensa Capite Literato

S E U

DIVUS  
FRANCISCUS  
DE  
SALES

Gebennensium Episcopus  
è Tertio Minimorum Ordine

SANCTI  
FRANCISCI de PAULA  
In Philosophia, Juribus, ac Theologia,  
ter Laureatus,

In Ecclesia Salvatoris Pragæ Urbe Veteri  
apud RR. PP. Ordinis Minimorum coram Auditorio  
Academico Oratione Panegyrica adumbratus.

P. FRANCISCO GERHARDT  
Societatis JESU Religioso.

Anno MDCCXX. die XXIX. Januarii.

HONORI  
AC  
VENERATIONI  
ILLUSTRISSIMI  
DOMINI DOMINI  
FRANCISCI  
WENCESLAI  
S. R. I. Comitis  
DE  
TRAUTMANSDORFF  
&  
WEINSBERG  
Liberi Baronis de Gleichenberg, Negau,  
Burgau, & Tatzenbach : Domini in Leito-  
mischel, & Dirnholtz &c.  
Sacrae Cæsareæ Regiæq; Majestatis Actu-  
alis Consiliarii, & Camerarii,  
Majorisque Judicii Provincialis in Regno  
Bohemiae Assessoris &c.  
DOMINI DOMINI  
PATRONI VENERANDISSIMI


ILLUSTRISSIME  
DOMINE DOMINE  
COMES.



*Emper sui Musis sunt Mecœnates, sub quo-  
rum faventiore subinde tutela amabili  
perfruantur libertate, atque à Theonino  
fortune semper invidiosa protegantur  
dente. Hinc illa Cornificia Regnante Octa-  
viano Cæsare illustris, cedrinis digna tabu-  
lis vox est: (a) solam doctrinam liberam esse, in quam for-  
tuna tela sua figere non posset. Et quid nî libera sit & no-  
stra nova Scientiarum Universitas, in uno comprehensa Ca-  
pite Literato, cum sub tuis, Comes Illustrissime, publi-  
cam in lucem prodit auspiciis? Neque incongruè D. Sa-  
lesius Noster; imò jam tuus, Doct̃or Purpuratus Tuæ, Comes  
Illustrissime, se se presentat Familie; cui ab avitis Ma-  
jorum deplua Ceris, atque in Te repurpurascens Rosa  
Gentilitia, domesticam ministrat Purpuram. Habet hoc  
Inclyta Trautmansdorfforum à longa Majorum serie  
Familia; quod semper Minimenostre Paulanorum Familie  
audiat Patrona. Imò & hodie dum Munificam Prosapie  
Illustrissime veneramur dexteram, à qua tanti quotan-  
(a) Quido Bituric, tit. de memor. nis*

nis Munificentia scaturiunt fontes. Tu verò, Illustrissime Domine Domine S. R. I. Comes, hoc præ ceteris habes Majoribus, quòd Franciscus D. nostri Francisci Salesii ad aras usque amicus Sacros hodie Literato Doctoris ter Laureati Capiti procures honores. Quid namque Illustrissime Tuæ magis congruat Munificentia, cum Te indissolubili Sapientia cum pietate nexu nostra Pium, atque Sapientem veneratur ætas; quàm ut reflorescentes hodie ad fecundos Salvatoris fontes Sapientia Illustris Laureæ, sub Infulata Postoris Piusissimi meridianes Majestate, Tuo fiant Honori vœtigales. Juridicus Salesius Infulis sociavit Laureas, utrinque Coronatus; proinde ad Te, Illustrissime Domine Domine S. R. I. Comes, Majoris Judicii Provincialis divertit Assessorem, qui Coronata S. R. I. Majestati à Consiliis Actualis audis Consiliarius. Presentem igitur, Comes Illustrissime, in unicum grati animi Mnemosynon suscipe pagellam, quæ ipsa Tuis se se ingerit manibus, tum demum se securam arbitrata, cum sub Te Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis conquieverit Camerario. Nos interim pro universis Munificentia Tuæ in nos Exemplis, unam, novamque Capitis Literati deferimus Universitatem, perennaturò gratitudinis debita Tibi adstricti vinculo

Conventus Minimorum  
S. FRANCISCI de PAULA  
Pragæ ad S. Salvatorem.



## ORATIO.



Terümne insipida ad oleum ebulliat oratio? Vix ullus secundo eloquentiæ flumine fastigiatis hæc è rostris coronata Panegyris Salesianæ Orator propellit carbasæ; vix ullus quotannis impendiosa styli florientioris bolide encomii Salesiani metitur Panegyristes pelagus; qui turgidos velificantis linguæ remos, tumentiaque eloquii exastuantis vela, in compendioso isthoc non tingat oleo. Et tamen iterum oleaginea naufragus in concha ad Delphicum pridem damnatos tripodem sterilem etiamnum Olivi orator resorbeat fluctus? si pro dispellenda tenebrosa peccatorum caligine pretiosam Olivæ Salesianæ stillam, excentrico Salvatoris, in Oliveo defudantis, sociatam amori in festivam ignire daretur lampadem; tum forsân, neque incomptè, ignibus semper amicam oleum ignitis aliunde in Salesium Clientum piorum cordibus gratum suppeditaret pabulum. At novam Scientiarum fumosam ad lampadem meditari Universitatem, Caputque Literatum fuliginoso scrutari in oleo; Hoc enim verò tenuis Mineræ in fumum cum flamma abituræ est rudimentum. Et adhuc oleum sapiat Oratio? nisi me solo & unico Veritatis subnixæ æquipondio imperturbata animorum conciliatrix teneret

Eloquentia; ad fabulosas Sterilis Aganippidos fluctu fallaci devolverer undas; abortivasque lucis oratoriae umbras sub opaca, alieno superbientis laticis lumine, perquirerem latebra. Sed enim metuo, ne inanibus lumen sub lymphâ captans amplexibus, oleum perdam & operam; accensamque Panegyrici Salesiani facem Oratoriam in fabulosis extinguiam fontibus. Verum neque fecunda alias sub fabuloso veritatis sipario Poetica adeo sterilescit vena, ut & oleum pro sepiâ non affundat Oratori. Namque etiam Oliva studiosa sacra Minervae in literale adeo ebullit oleum; ut ad Cleantheam suspensa lampadem vivacia sapientum ingenia, amica inter noctis concubinae silentia, sacro hoc ignis illucentis pasta pabulo, profigatis ignorantiae caliginosae tenebris, nova genesi in caput luceant Literatum. Inde fortassis non abs re fabulosa Antiquitas turgentem oleo Minervae appinxit lampadem; quod studiosa Musarum Praeses, fabuloso Jovis prognata ex cerebro, in caput affurgat literatorum. Scilicet Musae communi cum Minerva partu non nisi e capite propullulant literato; inde literatae, quia in capite ad oleum Minervae erudito hospitantes. Quid igitur miramini Patres Religiosissimi, clarissima Paulanae Familiae lumina, quod ad oleum, vobis domesticum, Salesium caput perquiram Literatum? Originariam capitis Literati evolvite Genesim, & Salesium ad oleum in caput illustrastis Literatum, Literarum sedes solum est caput: suos quippe natales, suumque partus ingeniosi uterum in solo Musae capitis adipiscuntur cerebro. Quapropter libri indubii ingeniorum magnorum partus, communi prope cum liberis tument nomenclatura, quod sua prius in fecundissima intellectus exculsi matrice nanciscantur cunabula; quam simili cum liberis exclusi partu, in maturum ingeniorum adolefcentia foetum. Non aliter Sanctissimus Genevae Praesul, *Filius olei*, praquam in Caput assurgat Literatum, in primo caterarum Orbis Universitatum capite Sorbonae suum excoquit ingenium, oleumque a vobis mendicat in minerval; quod triplici aliunde redimitus Laureola, excoctum subinde Philothae; Philotimique partum, mutuata a Candidissimo Innocentiae Incarnatae olore penna, & liquefcente in sepiam oleo, in publicam edat lucem,

Hac

Huc igitur oculis, pedibusque Auditores! a Capite Salesianum legite, in quo novum sapientiae multiformis Emporium, in novam scientiarum surgit Universitatem. Unum duntaxat ego Salesii evolvam Caput, & portentosa reconditoris Literaturae pandam volumina. Si curtiore Panegyris stylus ad rigidam hyemis forte gelascens brunam, veram Capitis literati non expresserit effigiem; Tullium cogitate, non Apellem, qui subsceivas quandoque Orationis umbras non a gleba: Sed a Palladio mendicat oleo. Cui dum totam pro penicillo immergo pennam; Vos interim Patres Religiosissimi fecundo Olivi Vestri destillantis fluitui innatantem Orationis propellente tabulam, eamque in vivum Salesii iconisimum clientelari animate affectu, & favete.

Adesto tandem etiam tua prorepens e Peripato Stagyrita! Adesto, & primum pro nova Scientiarum Universitate in uno comprehensa Capite Literato, ministra argumentum! Et verò Oedipum agit Philosophus, cum ad infallibilem examinis rigidioris lydiū per problematicas sectiones humanum anatomizat caput. Aures arrigite Minimi. Ecquodnam raras adhuc inter intellectus inexculti tabulas caput humanum literis sit accommodum; problema est, elenchum non sapit. subscribe Peripatice! *caput minimum*. Namque & suam Philosophorum Princeps adjungit sententiam, cum certae assensus experientiae, problema certam resolvit in thesim: *Qui minore capite nascuntur, & ii prudentiores*. Formabatur subinde fecundo adhuc uteri materni conclusus claustrum in hominem embrio Salesius; jamque sextum in uterino gravidae Matris carcere exegerat mensem, captivus infans; crescebat informis haec moles; inque vitalia humanae carnis distendebatur membra; quando vix animatus foetus communem nascendi praeveniens modum septimo materni claustrum Mense praecocem acceleravit partum; ne scilicet in majorem, Literatoque minus accommodam Capitolio, Caput assurgeret molem; utve deposita citius Originali macula, in innocentem confestim animam Spiritus subintraret Sapientiae. Quapropter & in primo vitae exorientis diluculo solum semiarticulato vocis tenellae vagitu balbutiebat *Deum*; quin etiamnum infans in vocalia balbutientem

Artif. in  
probl. Sect. 2.

Henric.  
Maupaf. Vita  
lib 1. cap. 2.

Creux vite  
p. 1. cap. 2.

Idem in Vita.

butientem linguam solvit Oracula, quando icto ad Pharetratam Divinioris Sagittarii Amoris Theandrici Palæstram corde præcoci charitatis etiamnum in infante hospitantis ingeminavit stylo: *diligit me plurimum DEUS.* Hæc nempe prima & articulata capitis Literati vox est! scilicet à Jove principium, sacratoris initium sapientiæ à Numine decantata in auge pientiorum est Maxima. Unde non immeritò Salesium Caput dixeris Literatum, qui à primo Sapientiæ capite, ab inexhausto Scientiarum fonte, ab ipso Omniscio suam vitæ Innocentis orditur paraphrasim. Verùm cum fortè radius pro Literato Capite diviniori deesset Ascanio, eumdem à Claro-Montana Grammaticus mutuatur societate, quò claritùs,

Lucret. lib. 6.

*Lauricomos, nempe, ut si per Montes flamma vagetur, Ignatianos inter splendet ignes, & circumfusis undique pietatis tenerimæ igniculis, claret illustrius. Volebat nimirum Minimum, quia præcoci editum partu, Caput sub indefessa Minimæ societatis Salesius excoli cura, ut in Caput evaderet Literatum.*

Vitæ p. 1. cap. 3.  
Ipsam Patrem precantis Salesii recito parœnesim: *Patrum Jesuitarum Collegium malim; ab iis, ut pii, & eruditi sunt, uno eodemque tempore, & iter Cæli discam, & disciplinas hauriam.* Hæc prima Universitatis in uno comprehensa capite sunt fundamina. Et jam Palladius diviniori Ascanio Claro-Monti affulsit radius; quando cadentes altis de montibus imitatus umbras; etiam in cœno lecturus adoras, Peripateticam Lutetiæ accessit porticum; indè Illustrior, quòd velut Claro-Montana umbra ab opaco literati capitis in apricum projecta umbone, luto nequaquam commaculetur. At enim, quid agis Salesi? cum paupere Aristotele cogèris ire pedes, & cœnosum illud disciplinarum severiorum Emporium Lutetias subintrabis? Adone jam Pieria eviuit Laurus, ut quæ aliàs in excelsò cum Apolline feriabatur Parnasso, jam in luteos (catachreticæ Sorbonici parcite Etymologiæ) humilèsvè Lutetiarum commigret parietes? arenosò Peripatetica Laurus potius gaudeat solò, quæ solos coronat Heroas, qui bene in Philosophica decertaverint arena. Nihilominus & hic Minimum Salesii Caput primas legit adoras, postquam supremam Philosophiæ Lauream, suo incinxit vertici, atque primum pro nova Sci-

entiarum

entiarum Universitate conscendit gradum, Caput Literatum. Apage proinde Marathoniam Zenonis porticus! apage sterile Stagyritæ lycœum! cedite Peripatetici! qui cum ad summa vos natos arbitramini, & æstuantis nantis Euripi fluctus avidis forbere tentatis faucibus; desperabundi tandem, tumentes pro tumulo hauritis undas. Caucasos etiam vestris eruditate ingeniis, capita rotarum plena; sanè cum vos in summa fucata subinde Sapientiæ culmina elatos suspicamini; subitam acti in vertiginem, tenebrosam ignorantia labascitis in vallem. Salesius ad submissa se se extendens minima naturalia, utpote præcoci naturæ partu Caput adeptus Minimum, vel exinde ipsò Philosophi suffragiò in fastigiatos Capitis Literati levandus Honores, novam vel in Minimo Capite Scientiarum meditatur Universitatem. Verùm enim verò majus est etiam Minimum Salesii Caput, quàm ut una duntaxat redimiatur Laureâ. Unâ non satis Caput Literatum tumescit Laurò, quòd pluribus gerendis capax, turgentes scientiarum omnium illustrat fontes. Proinde secundo Podi pacati fluctu, ut Phæton teos Eridanum olim inundantes ignes novis ad Cleantheam scientiarum lampadem compefceret ignibus, Patavium allapsus, aureum Justiniani codicem in margine nequaquam contentus apprehendisse, & ipsa intima codicis scrutatus penetralia in salutare volumen digessit asteriscos, quibus, non secus, ac latè fulgentibus astris, subjecto Juris-Prudentiæ illuxit orbi. Quin & juris sacra- ti Canones eâ intellectus illuminati penetravit acies; ut Sole clatteret illustrius, quantus olim sub Genebrardo Præfule Gebenensium esset futurus Canonicus. Indè ut etiam in juris corpore Angelicus audiret Gratianus, qui cæcam Patavii quasivit Astram, cæcam divina collustrante gratia vel spūto extinxit Venerem. Atque ita ab irrefragabili Juris Consultorum Collegio supremam Juris utriusque adeptus Lauream, vel inter diminutiya à Capite Juris capitula, Caput Minimum, Caput Literatum; imò & nova Scientiarum Universitas in uno comprehensa Capite Literato. Ecquid tamen tandem Salesius & hic cum adscititia Justiniani Epomide, quem Sacra operiebantur Insula? quid cum turbulento Astræ minacis gladio, quem Pastorale præstolabatur Pedum? Salesius pacificam potius pro-

B

gl-

gladio sedandæ Gebennæ, cui gehennalem hæresis acephala in-  
duxit eluviem; accommodam, columbæ Noëmiticæ | pre-  
hendit Olivam, è qua lentè destillans oleum, Universæ Mi-  
norum Familiæ sufficeret illustrandæ. Ergo ut dignius gen-  
tilicias Gebennæ Præful illuminaret Aquilas, oleum accendit in  
Solem, in Sole suspexit Aquinatem, ipse futurus Aquila, dum  
irretortò in Solem Aquinatem oculò, intaminatam fummiæ  
Angelicæ lucem in uno etiam conclusit Capite; Capite Aquili-  
no. Sorbeant igitur Sorbonici, resorbeantve avidis quantum-  
libet palpebris, Angelicum Theologiæ Solem; sorbeant The-  
osophi inexhaustum Sapientiæ diviniore lumen; divisa in  
omnes Aquilina Theosophia luce, minor ad singulos destuet  
radius Phœbi Aquinatis. Unus Salesius Baronio: *in ortu An-  
gelus*, in glorioso Theosophiæ decursu totus Angelicus univer-  
sam Theologica cum Aquila Solis Divini absorpsit aciem;  
quando Sorbonæ Doctor promotus supremum Theologiæ con-  
fendit gradum, supremâ Doctoratûs condecoratus Laureâ.  
En iterum Salesii Caput Minimum, Caput Literatum! fasti-  
diat igitur jam fabulosa Gentilitas commentitium illud Musæ-  
rum ementitarum Illicium, deliciasque; fastidiat Homerum  
fucatum illud fabularum è Delphico fortè excoctarum Tripo-  
de caput, quod in nuce conclusit Iliadem; Salesius in Mini-  
mo Capite Literatus omnia apparatus Philosophici, Juridi-  
ci, ac tandem Theosophici penetravit mysteria; quando Lu-  
tetiæ obscurissima quæque Peripati Oracula; Patavii inviolatos  
Juris Pandectas; Sorbonæ totam Angelici comprehendit sum-  
mam, tota in Doctore ter Laureato Universitas, vel ab ipso  
reconditoris Sapientiæ Sale Salesius. Enimvero spectate au-  
reum Capitis Literati partum Minimi; igneis amoris Divini  
collucentem facibus inspicite Philotheam; Literatum est, quid  
quid vel in exili concludit pagina, Liliatum Galliæ recito  
Olorem; *nemo scit literas, qui Salesii Philotheam non legerit.* At  
quid hoc Auditores? dum purpuram, sinûs Erithræi spodium,  
violamque cæli concoloris Salesio appendo delicias; adest  
Machaon quispiam, suspensasque vellicat aures, ac suas fortè  
opes in auream diffilat Lauream, caputque Literatum & suæ do-  
mesticæ perurget facultati. Nec abnuo: ægrotantium sub-  
inde

Vitzæ p. 7. cap. 7

Petrus Labbe  
in Elog.

inde animarum Medicus est Salesius; eò Galeno nobilior, quò  
incomprehensum animæ immortalis pretium mortales excedit  
corporum exuvias. Atque ita quid nisi in novam Scien-  
tiarum in uno comprehensam Capite Literato surgat Univer-  
sitate, qui Laureatus toties per pulveres scholasticos in excel-  
sa tot Facultatum perreptavit subsellia. Neque cursim scho-  
lasticos absolvit cursus, qui solo discurrens capite Literato per  
omnes Facultatum gradus adusque Infultatam pertigit Maje-  
statem; futurus & Eminentissimus; nisi purpuram à Clemen-  
tissima Clementis VIII. Anchora pendulam declinasset; & qui  
Vestros Patres Religiosissimi adamavit pisces, unum nauseas-  
set, quem suo vestigale luxui Purpurata fecit ambitio. Et  
hic propè subsisteret Oratio, nisi in Literata Pallade Virginal-  
lem cum Doctorali suspiceret Lauream. *Lilium fuit aliquan-* Pineda lib. 7.  
*do sapientiæ insigne, ait Pineda.* Indè Salesius ternæ jam Do- rebus  
ctoratûs Laureæ quartam adjecit Virginalem, & hanc Lite-  
rato intacta in Pallade domesticam vertici Doctor & Virgo,  
utrinque Laureatus. Cum Virgine namque intemerata cœ-  
lis renata, in Aurora Musis amica, natus, quam cum Virgi-  
neo pudicitæ conjugalis lacte in Salesio Castello à Matre com-  
bibit castitatem, ut Lutetiæ absque fado turpium illece-  
brarum immaculata maneret luto, perpetuò firmavit votò.  
Quin ut cum Virgine Lauretana eodem in Laureto vernan-  
tem Virginitatis decerpens Lauream Virgo audiret Laurea-  
tus, Parthenias Laureti Angelicis ad Lauros delati manibus,  
accessit Aras, in quibus novum Virgini Laureatæ dixit Sa-  
cramentum, quæ, dum Verbum abbreviatum Virgineo edidit  
partu, vel ipsis Calis Virgo audiit Literata. Hinc igitur ut  
Literatum Virgini intemeratæ Salesii conformaretur Caput,  
eâdem incinctum Laureâ meros Innocentiæ vixit dies. No-  
lim ergo ultra purpuratam Eminentissimi Baronii, temporum  
nostrorum Livii, mirari pennam, quæ ut Virgineo capitis Lite-  
rati vertici propè ipsam originalem conciliaret Innocentiam,  
*vix aliquam à Proto-Parente contractam Salesio inbasisse maculam,* pri- Vitzæ p. 7. c. 9.  
vato aucta est firmare Oraculo. Quod & Incarnata Salesii In-  
nocentia in fonti vitæ sacratoris stabilivit periodo, dum festa  
Divo Præcurfiori, in utero etiam materno innocenti, luce,  
prima

Vitæ p. 5.  
cap. 9.

prima ad populum parænetica Oratione innocens laborum  
sumpsit Exordium, & die purpuratis sacrata Innocentibus vitæ  
divinioris imposuit Epilogum, supremam vitæ intemeratæ in  
*editoris tugurio* nactus Lauream. Usque adeò Palladia Virginitatis  
Laureâ in Minimo etiam reflorescens capite à Lilio, Par-  
thenio Sapientiæ symbolo, Salesium indissoluto castæ Minervæ  
cum Literatis nexu in Caput levavit Literatum.

Ex Bullæ Mi-  
nim.

Verùm deficiente obscuræ Orationis oleo, jam & meæ Pa-  
negyrici oleagineam elaborati ad sepiam exinguuntur lam-  
pades. Imò declinante jam jam ad umbras die, novæ in Vo-  
bis Patres Religiosissimi accenduntur. *Cælum* Leoni X. Vestra  
est Familia, in qua, quot Divo Patriarchæ Vestro inviolabili  
Regulæ Sacramento succenturiata sunt capita, tot velut in fir-  
missimo Religions firmamento sidereæ collucent lampades.  
Perennant namque in Vobis ab illuminato Salesii derivati Ca-  
pite lucis sacratæ radii. Siquidem, si Salesius Caput est Laurea-  
tum, Vos vel ipsò Julii III. Oraculò Capitis hujus estis *Corona*;  
si Salesius Caput est Literatum, Vos faventissimò Sixti IV. suffra-  
giò estis *Oculus*; si denique Salesius Caput est Minimum, Vos  
Minimi Innocentio VIII. estis *pupilla*. Agite ergo Pupilla,  
umbrosæ sylvulæ, in quarum umbra mea hodie meridiatur  
Oratio: obscuro parcite Oratori, Obscuras oleagineam Sale-  
sii ad Lampadem quæsi umbras, dum apud Vos Minimos  
de Capite Minimo, & ipse Minimus.

D I X I.

